1637.

Quæstiones pro Doctora-
tu in Iure Ciuili, comi-
tijs habitæ Octob. 2.
1637.

Expensæ studii causâ factæ non privant filium legitimâ. l. Quæ pater. ff. Fam. ercisc.

QUid, pupille, tuos gaudes numerare catellos,
Exoptans nugis luxuriare tuis?
Quid sylvas & aprica petis loca? quídve fugaces
Jam satis exagitas sedulitate dies?
Vincula de canibus quoties tibi sumpta, remissis
Heu Phœbus toties expatiatur equis.
Nec tantùm ignarum te præterit horula (quamvis
Nil homo, quod possit perdere, majus habet)
Sed virtus, moresque, sed ipsa numismata, cura
Quæ sæpe insomnem sollicitavit avum.
En tibi delicias, queis & meliore licebit,
Sed nec tam carâ, conditione frui.
Te fontes sylvæq; juvant? sylvescit ubique
Mons sacer, irriguâ non sine fontis aquâ.
Forma decórq; placent? Musarum pulchra figura (est,
Virgineáq; ornat gratia multa genas.
Ex his nascentur victura volumina, proles,
Te consumpturos, non habitura rogos.
Nec de *legitima* quicquam consumitur: omnes,
Quas studio impendis, semper habebis opes.
Integra res mansura tibi est, intactáque massa:
Rubigóq; æri sola timenda tuo est.
Et si curta tibi dos sit, contractus agellus,
Liber in exculptis expatiere globis.
Sic Hispana tibi regio, sic Gallia notescat,
Delectétque oculos inclyta Roma tuos.
Ipsos contrectare polos, audáxque Leones
Securâ possis sollicitare manu.
Astrorum ascensus facilis vilísq;: nec ipse
Tantillo cœlos vendere Papa velit.

ERGO

Nè me interturbes posthac ratione librorum,
Tutores adeas, Bibliopola, meos.

Insignia portare cuilibet non licet.
Bartol. tract. de Insign.

UT puer Herculeâ Pygmæus veste triumphat,
Purpureæ aut cingunt stercora nigra rosæ:
Non aliter decorant plebeiam insignia fæcem,
Cùm frontes nimio rusticæ honore tument.
Ite domos vestras, plebs ambitiosa: decebit
Purpura vos *vultûs* plurima, nulla *togæ*.
Aurea qui vestris humeris insignia ponit,
Quidni humeris asini ponat & illa sui?
Qui toti in terram curvantur, arántq;, metúntque,
Sunt vermes. Gleba his nobilitatis apex.
Ardua magnus Honos habitat loca; culmine rerum
Gaudet, quo serpens scandere gralla nequit.
Non unquam descendit, opum nisi copia larga,
Sanguinis aut sternat purpura clara viam.

Frustrà ergò, tonsor, crispati sunt tibi crines;
Néve ultra crepidam pergere, *sutor*, habes.
Poscit uterque suas *laudes*, *insignia* neuter:
Pes ille imperii, *calceus* alter erit.

Respondens Dr Roane Aul. Trinitatis. Opponentes { Dr Goad Regalis, Regius Professor. / Dr Green Magdalenis. } Moderator Mr Cleveland Johañ.